

A quoque causam siue principium spūs ponūt: Nonne docent ex eo quoque ipsum procedere? Quid igitur? Claudemus ne aures nostras his autoritatibus, & testimonijs sanctorum tam multis, tam apertis, tam diuinis, tam consonis inuicem, & veritati, & obstito nato corde contra hæc contendemus? At hoc non sapientum, non honorum hominū propriū est, & eorum, qui dispēlatores verbi, & mysteriorū Christi & esse, & videri velint.

¶ Quod etiam Occidentales doctores idem aperte dicūt, quod Orientales prout ex eorum autoritatibus nobis per Latinos datis clare apparet intuentibus. C. VIII.

EGO quidē paucis quoad potui, multis omissis, quod pollicitus sum, p̄fēcisse putato. Probauī nanq; iusticiē, nullo doctorum Occidentalium vsus, ipsos scilicet patres nostros & doctores Orientales, filium quoque causam siue principium esse spūs, sensisse, & p̄ omnia inuicem conuenientes & concordēs, & partim ex patre p̄ filium, partim ex patre & filio procedere, spiritum sanctum & sapere, & docere. Vestrū autem est, vt eis doctoribus, & quidem rectis Latinis, & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ vniamini, cum eadem quæ & patres, & doctores nostri crediderint. Neque putetis aut ipsos, aut patres eorum, & nostros, Occidentales videlicet sanctos contraria Orientalibus patribus dixisse. Minime minime ita est. Et apposuissē vobis autoritates & testimonia etiam illorum, ad p̄suadendum vobis, & eorum cum Orientalibus concordiam probandam, nisi vos omnes scirem, & sciuissē, & audiuisse eas, cū Latini produxerint. Ad hæc cum oratio nostra prolisior fuerit, non sunt alia addenda. Præterea sicebit cuiq; cū voluerit, eas & videre, & legere, cū sint apud nos a Latinis datæ. Hoc autē solū ad vestrā reducendū memoriā putauī, q̄ omnes patres Occidentales, Hilarius, Hieronymus, Damascus, Augustinus, Ambrosius, magnus Leo, Gregorius, & cæteri multi q̄ clare, q̄ aperte vna mente, vna voce vbiq; operū suorum non vno aut duobus mēbris & articulis, sed pluribus verbis, prolisius sermonibus & probatiōib; ex patre & filio procedere spm̄ sanctū affirmāt, & ita ex filio sicut ex patre, & principiu spiritus filium eē, sicut ipse pater, & vnum & idem eius principiu esse patrem & filium simul, non duo principia, quæ omnia mente voluētēs, & Orientalium doctorum dictis comparantes, qui ex patre per filium, & ex patre & filio procedere dicunt spiritum sanctum, item ex filio & ex vtroque esse, necessario eos concordēs inuicem reperimus, & eadem de eodem sentientes in omnibus. Et superiores enim rationes, quas de concordia & quidem necessaria doctorum adduximus, cogit nos credere eos cōsentientes inuicem, & eadem de hac diuina processione spiritus sancti sentientes, quæ admodum etiam de alijs dogmatibus fidei. Et nunc ipsi Orientales per se ipsos eadem cum Occidentalibus dicere satis probati sunt, vt nemo negare possit amplius eorum summam concordiam. Atqui & si nullo modo patres Orientales attribuerent filio esse principium spiritus, cum tamen nullibi aliquis neget expresse processionem spiritus ex filio, nemo esse, qui auderet eos dicere Occidentalibus patribus dixisse contraria. Nūc vero cum non solū non negent, sed apertissime etiam dicant per filium & ex filio procedere spiritum, audebimus ne dicere, non eos conuenire, & concordare cum Occidentalibus? At nemo nos commendabit, imo vero nemo est, quin nos audacia, temeritate, stultitiæ accuset. Scire autem hoc etiam debetis, q̄ aut nullo modo acceptanda sunt, quæ reperiuntur opera sanctorum doctorum Occidentalium, aut si hæc acceptabilis (vt faciendum est) oportet etiam, quæ de hoc articulo dicunt & acceptare & credere. Tam enim multis in locis operum eorum, imo vero in omnibus sparsa sunt: tantq; & talis est continuatio & sequentia procedentium ad ea, quæ sequuntur, vt non possit aliquis de his aliquis suspicari. Si quis enim hæc conclusionem, & rationes eam probantes, ex operibus eorum adimat, nil amplius restat, nec sensum aliquem reddūt, quæ remanent, ita connexa, ita conglutinata, & coniuncta cætera omnia cum hoc dogmate sunt.

als, aliquibus
vel, aliquid;

¶ Epilogatio, & repetitio prædictorum, & solutio friuolæ responsionis, qua quidem ad autoritates Occidentalium respondet, & exhortatio ad vnionem. C. IX.

hhhhh tñ Sed